# Badische Landesbibliothek Karlsruhe

## Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe


# Rudolphi Goclenii Exercitationes et disputationes ethicae & politicae


**Goclenius, Rudolph**



**Marpurgi Cattorum, 1601**


XXX. An omino & semper libera sit voluntas iin externis actionibus?


urn:nbn:de:bsz:31-109121



Visual Library

per ætatem rationis uſu deſtituantur (cerebrum enim in iis nimis laxum & humidum eſt) deſtituuntur quoq; electione. Sic adulti quoq; licèt ratione polleant: in repentinis tamen animi motibus & affectibus nõ eligunt, non agunt ἐκ προαιρέσεως, quia impeditur cõſilium judiciumq; & rationis conſultatio perturbationis (ut iræ) vehementiâ. Diſtingue igitur inter δύναμιν ſeu actum primum, & χρῆσιν ſeu actum ſecundum rationis. Ad ſecundum reſponſio vera & ſimplex hæc eſt. Electio in finibus mediis non habet locum, quà ſunt fines, ſed quà ſunt media ad felicitatem. Vulgus tamen etiam finem ſe eligere dicit. Ideò Ariſtoteles utitur particula eligendi ſeu comparandi, potius. Electio potiùs eſt eorum, quæ ad finem ſunt.

---

## XXX.

### *An omninò & ſemper libera ſit voluntas in externis actionibus?*

Negatur.

VOLUNTATEM hominis liberam per ſe & ſecundùm eſſentiam eſſe firmiter ſtatuendum eſt: Omnis itaq; actus voluntatis liber eſt hac ratione, qua eſt non coactus, ſed ἑκούσιος, non quòd illum primò eliciat voluntas ſimpliciter & ſine adjectione conſiderata, id eſt, quatenus eſt potentia, ſed quatenus

tenus eſt prædita habitu vel acquiſito vel infuſo, aut propter vitioſitatem illam quam peccatum originis dicunt nobiſcum nato. Sed ſæpè magis ad malum quàm ad verè bonum fertur voluntas (etſi malum ſub ratione boni velit:) ita ſerva eſt per accidens, quod οὐσίαν potentiæ non perimit. Itaque & rectè dicitur vitioſitate naturæ corrumpi voluntatem noſtram, non verò eſſentiam ejus perimi & aboleri. Præterea initio quidem (ante habitus acquiſitionem) liberæ ſunt noſtræ voluntates, quod ad delectum boni & mali attinet, ſed progreſſu ætatis, longa conſuetudine (quæ altera natura eſt) & crebris actionibus devinciuntur & mancipantur habitibus moribusque, & ἔθει imbuuntur ita, ut poſtea liberum non ſit, utrum velis agere, ſed in poteſtate ſis acquiſiti moris. Hinc fit, ut incontinentium ebriorumq́; voluntas crebritate actionum ſeipſam mancipet: & nihilominus etiam tum dicitur quis agere ἑκουσίως, id eſt, voluntariè, quia quiſq; ſui moris voluntarius eſt faber.

## XXXI.

*An verum ſit: Mores ſive bonos ſive malos judicari magis electione, quàm actione?*

Diſtinguitur.

ARISTOTELES 3. Ethic. cap. 2. affirmat, mores magis ex electione quàm ex actionibus